



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 19. Columbus a Lusitano neglectus, Castellam profectus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

ast tam ampla a Rege postulabat præ- Sæcul. XV.  
 mia, ut Lusitanus hanc provinciam al- A.C. 1485.  
 teri deferret, qui juxta Columbi præce-  
 pta dictas Insulas detegeret; quapropter  
 Rex clam lembum in pelagus procurrere  
 jussit, simulans, hac navi annonam, ac  
 præsidarios milites ad Hesperides Insu-  
 las transvehi: Cum autem hujus navi-  
 gii Gubernator tam Astronomicæ, quam  
 artis nauticæ ignarus esset, maris cur-  
 sum, quem a Columbo edoctus fuerat,  
 haud insequi poterat, atque a sua navi-  
 gatione redux Joanni Regi perperam sug-  
 gessit, quod audax illud, tumidisque ve-  
 lis præguans promissum, nonnisi inane  
 Genuentis hujus viri delirium esset.

§. XIX.

*Columbus a Lusitano neglectus, Ca-  
 stellam profectus.*

Christophorus Columbus, cum Lusita-  
 niæ Regem suis consiliis minus pro-  
 pitium experiretur, unacum filio suo Ja-  
 cobo Columbo in Castellæ Regnum con-  
 tendit, misitque in Angliam Bartholo-  
 mæum Columbum fratrem suum, qui *Thomas Fa-  
 cel. hist Sicil.*  
 Henrico VII. non ita pridem ad solium  
 evecto novi orbis spem, consiliumque *Justiniani,  
 & Saprani*  
 suggereret: Christophorus autem Cor- *scritt della*  
 dubam, ubi tum Ferdinandus agebat, *ligur.*  
 delatus Ludovico Santangelico, viro in-  
 ter



Sæcul. XV. ter Arragonenses nobilissimo, animi sui  
 A.C. 1487. propositum detexit, ab eoque ad Regem  
 duci petiit. Ferdinandus percepto viri  
 sermone Priori de Prado postea Grana-  
 tensi Archiepiscopo negotium dedit, ut  
 nova hujus inventionis momenta discu-  
 teret; cum vero omnes a Ferdinando ad  
 discutiendum hoc negotium destinati  
 ejusmodi scientiæ principiis carerent,  
 ideo ea, quæ Columbus proposuerat, in-  
 genii sui acie haud assequi poterant, qua-  
 propter eum non sine neglectu abire ju-  
 bebant. Columbus hac repulsa vix non  
 animo fractus, constituit in Franciam,  
 inde vero in Angliam navigare, ut sal-  
 tem ibidem de fratris sui fato certior fie-  
 ret: hanc ob rem animi sui propositum  
 Joanni Perez Priori significat; hic vero  
 iterum iterumque Columbum obsecrat,  
 ut discessum differret, donec ipse Isabel-  
 lam Reginam de tota rei serie certiores  
 reddidisset. Adiit ille etiam Reginam tum  
 Loxæ commorantem; ast cum alterum  
 hoc responsum haud magis, quam pri-  
 mum fuisset propitium, Columbus jam  
 in eo erat, ut relicta Castella Franciam  
 peteret; opportune tamen Ludovicus  
 Sanctangelicus Reginæ pollicetur, quod  
 ipsemet primæ navigationis expensas in  
 antecessum suppeditaturus esset. Quam-  
 primum Isabella hanc conditionem acce-  
 ptabat, Ludovicus illico Columbum jam-  
 jam



Sæcul. XV.  
A. D. 1485.

jam itineri accinctum insequabatur, eundem Loxam reducturus. Vix advenerat Columbus, cum in eadem urbe a Joanne de Colonia Status Secretario Regium diploma acciperet, vi cujus Oceani Archi-Thalassius, & continentis omniumque, quas detecturus esset, Insularum Pro-Rex declaratur, adjecta plena Gubernatores ac Judices pro suo arbitrio constituendi, aut amovendi auctoritate.

§. XX.

*Columbi navigatio ad detegendam Americam.*

Hæc quidem acta fuere præsentis anno, longior tamen mora operis executioni data videtur; compertum enim habemus, Columbum non nisi mense Augusto anni millesimi quadringentesimi nonagesimi secundi navigationem suam auspiciatum fuisse, eodemque anno mense Octobri obliquatis Boream versus velis primam omnium detexisse Insulam, nomine Floridam: hanc vero jam secundam Columbi navigationem Ferdinandi nomine susceptam fuisse arbitramur, Regemque optato primi itineris successu opido lætum decrevisse, ut primæ, quas Columbus deinceps inveniret, Insulæ suo nomine detectæ censerentur. Quapropter haud temere conjicimus, Colum-

Ferdin. C.  
Columb. hist.  
Admir.  
Christ. Columbus.  
Pizarro de los Illustr.  
Varon. del Nuevo mundo.